



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quomodò fiet resurrectio mortuorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

citabuntur: alij ad vitam æternam, alij ad confu-
 nem. & Job 19. Scio quòd redemptor meus viuit, &
 in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne
 mea videbo Deum saluatorem meum, & Christus
 defendit hunc articulum Matth. 22. ex verbis Exod.
 3. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Ia-
 cob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium,
 & Ioan. 6. inquit. Hęc est voluntas patris mei, qui
 misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum,
 habeat vitam æternam. & ego resuscitabo eum in no-
 uissimo die. Et quoniam natura hoc difficile credit,
 idè Apostoli & maximè Paul. multum laborabant
 in probatione istius articuli. 1. Cor. 15. Sicut per vnu
 hominem venit mors, ita quoq; per vnum hominem,
 id est, Christum, venit resurrectio mortuorum: & si-
 cut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo &c.
 Roman. 8. Si spiritus illius qui suscitauit Iesum à
 mortuis, in vobis habitat: ille Spiritus qui Christum
 excitauit, & mortalia corpora vestra viuificabit pro-
 pter illum, cuius Spiritus in vobis habitat. Clarus
 est hic articulus in scripturis noui testamenti ac ve-
 teris. Nam Christus multos excitauit mortuos, sicut
 viduæ filium, Luc. 7. filiam archisynagogi, Matth. 9.
 Lazarū, Ioan. 11 & Apostoli & alij sancti excitauerunt
 mortuos ad probandum hunc articulum fidei: idè
 ex verbo Dei, cui credere debemus, Deus enim non
 mentitur, immò hoc impossibile est, Heb. 6. fidem re-
 surrectionis probant, & ex potentia illius, quoniam
 omnipotens: & hęc ratio est, cur gentiles negant re-
 surrectionem, quia non credunt verbo Dei, aut quòd
 Deus sit omnipotens. Fides ergo resurrectionis est
 ex verbo Dei & exemplis, & non à natura.

2. Secundo, quomodo fiat resurrectio mortuorum,
 Apostolus 1. Cor. 15. ait: Canet enim tuba, & tunc in
 ictu oculi (*plätzlich*) omnes immutabimur, non o-
 mnes dormiemus, quia aliqui erunt residui in ad-
 uentu

uentu Domini, qui non sunt sepulti vel mortui: omnes tamē immutabimur, quia oportet hoc corruptibile, id est, *verweslich*/ induere incorruptibile, & mortale hoc corpus induere immortalitatem, & tunc implebitur sermo prophetę Oseę 13. Mors absorpta est in victoria, vicit immortalitas mortalitatem in Christo, id est, propter Christum: ergo ubi nūc est mors tuus aculeus, id est, peccatum? quia stipendium & aculeus peccati est causa mortis, Roman. 6 Sed Deo gratia, iam habemus victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Sic in istu oculi in resurrectione omnes immutabimur. Surgent mortui incorrupti, id est, integris corporibus: & qui adhuc viuēt, morientur prius, & immutabuntur cum ceteris de mortalitate ad immortalitatem. Insuper de illis quos viuos adhuc reperiet in terris aduentus Christi inquit Apostolus 1. Thess. 4. Nos qui viuimus & residui manemus in aduentu Domini, non preueniemus eos qui dormierunt, sed primò ipse Dominus in voce tubę & voce archangeli descendet de cœlo: & tunc mortui in Domino resurgent primi. Deindē nos qui viuimus & residui sumus, simul rapiemur cū illis in nubibus obuiam Domino in aëra, & sic semper cū Domino erimus, scilicet electi post acceptam & auditam sententiam Mat. 25. Venite benedicti patris mei, possidete regnum &c. At inquis: nunquid & mali resurgent? maximè. Scriptura enim testatur generalē resurrectionem bonorū & malorum, sed cū magna differentia; Boni enim ad gloriam, sed mali ad æternam damnationē. Sic inquit Christus Ioan. 5. Venit hora & nunc est, quandò omnes qui in monumentis sunt, audient vocē filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitę: qui verò male egerunt, ad resurrectionem iudicij. Sic 2. Corint. 5. Oēs manifestari oportet antè tribunal Christi, &c. hic nihil est disputandum de hominibus, quomodo

in terra corrupti sint, vt quidam à bestijs deuorati, quidam cōbusti, submersi, &c. Sed hīc potius omnipo- tentia illa diuina consideranda est. Nam si ex nihilo potuit creare Deus omnia, multo magis ex pulueribus vel ossibus resuscitare & viuificare poterit omnia atq; reparare: ideo consolatur suos Christus, in- quiens Matt. 10. Nolite metuere eos qui occidunt cor- pus, animam autem non possunt occidere &c.

3. Tertiò, Apostolus 1 Cor. 15. docet, quomodo corpo- ra electorum decorabuntur quatuor dotibus æternæ gloriæ, id est, quas habebunt beati in gloria eternali- ter. & primò inquit, sicut stella differt à stella in cla- ritate, sic erit in resurrectione mortuorum. Secundò, corpus seminatur corruptibile, sed resurget incor- ruptibile. Tertiò seminatur in ignominia, id est, misere in terra perit aut sepelitur: sed resurget in gloria, id est, **herzlichkeit**. Quartò, seminatur in infirmitate, & resurget in virtute: seminatur corpus naturale, id est, materiale, & resurget spirituale. Summa, his qua- tuor dotibus ornabuntur iuxta Apostolum corpora beatorum in resurrectione: hoc est, **werdē sein hell vnd klar / vnsterblich vnd ewig / subtil vnd herzlich / stark vnd gewaltig**. Et dat exemplum: Insiens tu, nō viuificatur quod seminas, nisi prius moriatur. Sic Christus de grano tritici Ioan. 12. Sic lucent in gloria electi sicut sol, Matt. 13. id est, postquā fuerint ornati his dotibus: exemplum quatuor ho- rum habetur etiam in sole, qui clarus, subtilis, potens & perpetuus est vsque ad finem. Malorum autem cor- pora erunt obscura & deformia, non clarificata, at- tamen immortalia ad damnationem æternam. Ceterò ergo credere debemus huius carnis nostræ fu- turam resurrectionem, & quòd cuiusque cor- pus proprium resurget.

CREDO